

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis V. De effectibus, seu fructibus venerabilis eucharistiae, [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]


Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Carolus
V. &c.
Processio-
niade-
rat, &c.

Carolus V. & Philippus II. in Comitib;
Augustanis aperto capite, accensis cereis,
venerabile Sacramentum comitati sunt;
cūque Philippus moneretur, ut ob æstus
solis caput regeret, respondit: Hodie sol
non urit. Fab. in Festo SS. Trinit. c. 7. n. 1.



CATECHESIS V.

De Effectibus seu Fructibus
venerabilis Eucharistiæ; & quomodo illa
sumenda, seu quomodo commu-
nicandum?

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. Quinam sunt Effectus hujus sanctissimi Sa-
cramenti, seu sacre Communionis?
2. Quis consequitur copiosius hosce Fructus?
3. Quomodo ergo sese disponere oportet commu-
nicaturum?
4. Ergone grave scelus foret in mortali commu-
nicare?
5. Quid si verò post Confessionem denuò quis pec-
caret, aut peccati non confessi recordaretur?
6. Quid ampliùs observare oportet communi-
caturum?
7. Qualiter ergo actualiter communicandum, &
quid

quid ante-in & post Communionem observandum?

§. Siquid de Sacramento faucibus adhæserit, quid agendum?

MISCELLANEA.

An impedit Communionem, si manè guttula aquæ per fauces defluat?

An si quis cibum prægustet, folia tabaci mastice?

Quinam excusantur, ut etiam non jejuni Eucharistiam sumere possint?

Quomodo succurrendum defectibus circa Communionem, v.g. si subito vomere cogatur? si hostia in terram cadat?

Quamdiu abstinendum excreatione? cibo? &c.

Quando Eucharistia producit suos effectus?

Quæstio Prima: Quinam sunt Effectus seu Fructus hujus sanctissimi Sacramenti, seu sacra Communionis?

R. Præcipui sunt, remissio venialium, augmentum gratiæ divinæ, omniumque donorum Spiritûs Sancti, varia denique tam corporalia, quam spiritualia beneficia.

Primus ergo effectus est, quod Eucharistiæ usus tollat peccata venialia, juxta Trid. Sess. 13. c. 2. Ubi dicitur virtute hujus Sacramenti liberari nos à culpis quotidianis, id est, venialibus; dummodò communicans ad illa nullum habeat affectum, & complacentiam; imò & peccata mortalia, non per se (cùm enim sit cibis, supponit vitam) sed per accidens, & dis-

Q. I.
Quinam
sunt effe-
ctus SS.
Sacra-
menti?

Præcipui
sunt, re-
missio
venia-
lium, &c.

Effectus
i. Remis-
sio venia-
lium.

Morta-
lium.

Pœnarum
tempora-
lium.

Effectus
2. aug-
mentum
gratia-
rum.

positivè, quatenus peccatorem mover, & inducit ad agnitionem peccatorum, filialem dolorem, veramque poenitentiam, cuius virtute peccator deinde justificatur. Unde S. Chrysostomus *homil. 39. in Joan.* docet, Eucharistiam abluere omnia peccata: & Rupert. *l. 6. in Joan. a. 6.* Virtute huius factum est, ut mortui resurgerent. Per accidens quoque tollit peccata mortalia, si suscipiatur cum bona fide, per oblivionem inculpatam peccati mortalis, ut dictum *de Sacramentis in genere.* Similiter tollit & peccatorum pœnas, itidem indirectè (quia ad alterum institutum non est) quatenus piè communicantes ad fervorem charitatis, quore missionem pœnarum illarum mereamur, vel ex parte, vel ex toto, secundum proportionem, quam fervor ille habet, cum pœnis debitis. Theol. Sanct. Gall. cit. q. 4. d. 1.

Secundum est, augmentum gratiæ sanctificantis, & omnium habituum supernaturalium, omniumque donorum & fructuum Spiritûs Sancti. Unde Innocentius III. *l. 4. c. 44. de Myst. Missæ.* Panis iste si dignè manducetur, impinguat, non ventrem, sed mentem, eo virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant; is enim sumitur in Sacramento totus & integer, qui Fons & origo est totius

tius gratiæ; per hoc, inquam, augetur Fi- Fidei.
des, magisque illuminatur intellectus, ad
cognoscenda divina Mysteria. Pater in
Discipulis euntibus in Emmaus, quorum
oculi in fractione panis aperti sunt. *Luc.*
24. v. 35. Et quinam inter Doctores Græ-
cos illuminatissimi? annon Basilus, Na-
zianzenus, Chrysostomus? qui inter La-
tinos? Ambrosius, Augustinus, Gregorius?
at hi omnes præcipui fuere Cultores
Sanctissimæ Eucharistiæ: libri illorum
testantur, &c.

Augetur spes, *Spei.*

quem enim videmus communicare nobis
non pecuniam, non vestem, sed Corpus
& Sanguinem suum, quomodo non spe-
rabimus omnia cum illo, & ab illo? quo-
modo non victum & amictum necessarium?
quomodo non liberorum promissio-
nem? &c. Neque augetur spes tantum
rerum temporalium, sed & vitæ æternæ,
cujus specialiter pignus dicitur Eucharis-
tia; non enim dubitare licet, Christum
se daturum nobis in gloria, qui se modo
communicat in Eucharistia; unde *Joan.*
6. v. 58. Qui manducat me, ipse vivet pro-
pter me, alioquin non victurus, nisi man-
ducaret, &c.

Augetur & inflam-
matur Amor. Unde *S. Thom. opusc. 58. Charita-*
c. 22. Carbunculum signat Corpus Domi-
ni, de Altari sumptum, ex charitate in-
flam-

Patien-
tia.

flammarum ; quod de manibus Seraphino-
rum, nos quòque, ut reficiamur, accipi-
mus, neque solum ut reficiamur, sed etiam
ut accendamus ; ex continua fractione &
sumptione Panis Eucharistici efferbuit
primorum Christianorum ardor. Augen-
tur Prudentia, Justitia, &c. Siquis est par-
vulus veniat ad me, & insipientibus lo-
cuta est. *Prov. 9. v. 10.* Et, per me Reges
regnant, & Legum conditores iusta decer-
nunt. *Prov. 8. v. 15.* Augetur Patientia,
ut in omni pressura, angustiis, & afflictio-
nibus, homo numquam de statu suo deij-
ciatur, sed patienter, forti, invictòq; ani-
mo quævis mala superet ; enimverò homo
ab Eucharistia internum accipit solatium,
tum vi ipsius Sacramenti, tum ex præsen-
tia Christi, cui, ceu Amico & Patri aman-
tissimo calamitates nostras posse aperire,
consilium, auxiliùmque petere, & acci-
pere, utriusque solatium est. Unde *Sap. 12.*
v. 1. O quàm suavis est Domine Spiritus
tuus ! &c. Ab eodem vires accipit & ro-
bur internum, itidem tum virtute ipsius
Sacramenti, tum ex præsentia & auxilio
Christi, quo confortatus David se muros
transgressurum ait : *Pf. 17. v. 30.* Et : Pa-
râsti in conspectu meo mensam adversus
omnes, qui tribulant me. *Psal. 22. v. 5.*
Et

Et Job : Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. c. 17. v. 3.

Tertius effectus est præservatio à peccatis, per gratias actuales, seu auxilia specialia, quæ suo tempore conferuntur ad cavenda peccata, præsertim mortalia; ut sunt, bonæ inspirationes, pij motus in occasione & periculo peccandi, quales habuere Sanctus P. Benedictus, S. Franciscus, & alij à Spiritu Venereo tentati.

Effectus
3. Præservatio à Peccatis.

Quartus est, quod tollat, vel saltem diminuat radices & causas peccatorum, quarum præcipuæ sunt, appetitus sensitivus, seu concupiscentia carnalis, & fomes peccati, item passionēs inordinatæ, denique & tentationes dæmonis. Extinguitur ergo per Eucharistiam ardor concupiscentiæ, & fomes peccati, qui inclinat voluntatem ad sensibilia bona, excitatque & nutrit in homine inordinatos ardores desideriorum rationi repugnantium, ideoque peccaminosos; vel, quia vehementiores ab Eucharistia in voluntate excitati motus in appetitum sensitivum redundant; vel, quia spiritus animales ad eundem reprimendum commoventur; vel, quia speciali ad hoc gratiâ donatur communicans, intuitu venerabilis Sacramenti; vel denique, quia à Christo toties suscepto corrigitur paulatim appetitus

Effectus
4. tolluntur causæ peccatorum.

Fomes peccati & Concupiscentia, &c.

sensitivus, minuitur fomes, tollitur repugnantia carnis, devincitur prava consuetudo. Unde S. Bernard. *Serm de Cana Domini*, Per Eucharistiam minuitur in minimis peccatis sensus, in gravioribus tollitur consensus. Et S. Cyprianus *de Not. Dom.* ait: Abfuisse è domo Deiparæ omnes illecebras, quia tanti habitatoris reverentia, concupiscentiarum ludibria abigebat. Et S. Cyrillus: Rogo studiosè, sanctèque benedictionem participes; sedat enim, cum in nobis est, sævientem membrorum nostrorum legem, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat.

Passiones
inordina-
tæ.

Tenta-
tiones
dæmo-
num.

Inordinatæ quoque animi passiones iræ, odij, desiderij &c. quibus sæpius homo violento impetu in perversum agitur, per Eucharistiam sedantur, quemadmodum aqua bulliens defervescit superfusâ frigidâ, ob rationes modò allatas. Ut primùm Christus Naviculam fluctibus penè demersam intravit, tempestas sedata est. *Matth. 14. v. 32.* Dæmonis denique vires & audacia, quâ etiam Apostolos cribavit. *Luc. 22. v. 31.* per Eucharistiam franguntur, tum virtute & gratijs specialibus ipsius Sacramenti, quibus homo roboratur, vel non ad sentiendum, aut generosè resistendum, vincendum-

que

que: tum ex vi præsentia Christi, quam exhorret, fugitque dæmon; sicut commorante in platea Principe militibus stipato, fugiunt latrones, fures, &c. Ita ignem si manu præferas, noctu fugiunt lupi; ille ergo suscipitur, qui stravit & alligavit fortem, qui dicit: Obmutescere sathan. Unde Chrysostomus *hom. 61.* Hic Mysticus sanguis dæmones quidem pellit, ad nos autem Angelos vocat. Et *homil. ad Neoph.* Cum te egredientem post dominicum Convivium viderit inimicus, post cælestes epulas, tanquam ignem leonis ore flammantem, fugit & deserit omni vento velocior, nec appropinquare contendit, & cum cruentam linguam tuam crudelis ille perspexerit, mihi crede, non stabit, & cum os tuum senserit, rutilare, gressum suum cum timore retrò torquebit.

Quintus. Quod sit vinculum unionis, fidelesque spiritualiter uniat, inter se, & cum Capite Christo; hujus enim Sacramenti Virtute fideles omnes in unum Corpus spirituale coalescunt, cujus caput est Christus; unde & sub Panis vinique specie institutum esse Sacramentum Eucharistiæ, jam supra diximus, ad denotandam unionem fidelium inter se. Propterea (ait S. Thomas *opusc. 57.*) Dominus

Effectus
5. Unio
fidelium
inter se,
& cum
Christo.

noster

noſter Jeſus Chriſtus Corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendavit , quæ ad unum aliquod rediguntur; ex multis namque granis unus panis conficitur , & ex multis racemis vinum confluit; ita &c. Conjunctionem verò cum Chriſto Patres varijs declarant figuris , v. g. Ceræ , Liquoris , Cibi , &c. Unde S. Cyrillus *lib. 4. in Joan.* Siquis liquefactæ Ceræ alteram infuderit , alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt : ita ſiquis Carnem & Sanguinem Domini recipit , ita cum ipſo conjungitur , ut Chriſtus in ipſo , & ipſe in Chriſto inveniatur. Et S. Chryſoſtomus *hom. 51.* Corpus ſuum in nos contemperavit , ut unum quid ſimus. Et Origenes *lib. 2. Pæd. c. 2.* Dominus ſub rectum tuum ingreditur , ut tibi unitatur , & hoc eſt , quòd ipſe dixit : Qui manducat meam carnem , in me manet , & ego in illo. Porro ex unionem cum membris hoc boni accipimus , quòd omnium Juſtorum ſuffragia & merita participare poſſimus. Ex unionem cum Chriſto , quòd illius Providentiam , Adjutorium , omniumque gratiarum influxum ſentiamus , &c.

Effectus
6. Sancti-
ficatio
noſtra.

Sextus , quòd Euchariftia ſuo contractu ſanctificet corpora noſtra ; ſicut enim alia quæ tangit , v. g. Calicem , Corporalia , &c. aliquo

aliquo modo sacra facit, ut à profana manu tangi nefas sit, ita & de corpore hominis proportionaliter intelligendum est. *Theol. cit.* Maximè cum corpus nostrum non tangatur tantum à Corpore Christi, sed intimè jungatur, ut cææ, &c. Hinc meritò ossa Sanctorum in honore habentur, toties à Corpore Christi sanctificata; meritò quoque sepulchra Christianorum honorantur & crucibus signantur, cæmeteria verò lampadibus illustrantur ob eandem causam.

Septimus, quòd plurima alia per illam conferantur beneficia, v. g. sanitas, profectus rei domesticæ, scientia, &c. Si enim umbra Petri, si sudaria Pauli ægros sanabant, quantò efficacius Corpus Christi devotè sumptum medebitur languoribus nostris? nempe affectus intensi voluntatis redundant in appetitum sensitivum, indeque in Corpus; ipsi etiam spiritus animales commoventur, & ad symmetriam reducuntur; denique Christus ex speciali providentia producit effectum hunc, in Corpore quod inhabitat; ipse enim est, qui cæco nato oculos aperuit, qui claudis gressum, surdis loquelam, mortuis vitam reddidit. Audiat, ait Paschasius in *Matth. c. 9.* Christianus quilibet, quantam de eo possit sumere medicinam, quando mulier totam

Effectus
7. Varia
beneficia.

totam rapuit de solo Christi fimbria sanitatem ! Ne minus res domesticæ hinc augmentum capiunt , ipse enim est , qui aquam vertit in vinum , qui quinque milia satiavit quinque panibus. *Matth. 14. v. 21.*

Scientia denique fructuosa hic invenitur , ipsa enim adest & sumitur Sapientia divina ; experienciâ constat, devotissimos Eucharistiæ in Scientia Sanctorum esse doctissimos.

Q. II.
Quis copiosius consequitur hosce fructus ?

Quæstio Secunda. Quis copiosius consequitur hosce fructus ?

R. Qui devotissimè accesserit ad communicandum.

Qui devotissimè accesserit, &c.

Christus enim in hoc Sanctissimo Sacramento, gratiarum mensuram determinavit pro ratione dispositionis , ut maximè dispositus , maximas acciperet gratias , & veluti aqua talis apparet , quales sunt flores , & gramina prati , per quod labitur , sic Christus juxta cujusque dispositionem se se communicat.

Q. III.
Quomodo se disponere oportet ?

Quæstio Tertia. Quomodo ergo se se disponere oportet communicaturum ?

R. Oportet esse jejunum , & prius confiteri peccata sua.

Primò præcipitur jejunium,

Nempe quia ante omnia servari decet , quæ præcepta sunt ; primò igitur præcipitur ab Ecclesia jejunium naturale , ut à media nocte nihil cibi aut potûs usque ad commun-

communione sumatur. Concilium Carthag. 3. c. 29. Sacramenta altaris non nisi à jejunis celebrentur. Et S. Chrysostomus. *hom. 27. in 1. ad Corinth.* Prius quidem quàm communices, jejunes. Et Augustinus *epist. 118.* Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani Corpus dominicum intraret, quàm cæteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur; & merito; si enim hoc saltem in præcepto esset, plurimi nullam omninò pietatis & reverentiae afferrent dispositionem: cum experientiâ teste, præter jejunium afferant nihil; nec dubium, quin multi accederent, bene pasti, aut remulenti, Exigitur autem jejunium naturale strictissimum, nec datur ulla parvitas materiae, quia hîc habetur ratio reverentiae Sacramenti; unde Communionem impedit, quidquid per modum cibi aut potûs ab extrinseco & per se, & actione propriâ vitali in stomachum comedendo aut bibendo demittitur, sive illud reverà sit cibus aut potus, sive medicina aut electuarium, sive alia res non nutritiva, ut charta &c.

An verò etiam impedit Communionem, si manè inter eluendum os, una vel altera gutta aquae cum saliva transeat?

Non defluat.

Requiri-
tur jeju-
nium na-
turale.

An impe-
dit com-
munio-
nem si
manè
guttula
aquae per
fauces

Non impedit; quia quidquid per modum salivæ in stomachum traicitur, non censetur violare jejunium naturale.

An si quis cibum-
prægu-
stet, folia
tabaci
masticer?

An si quis cibum prægustet, aromata aut folia tabaci masticer?

Non im-
pedit.

Nec hoc impedit, dummodo nihil deglutiat, sed ex ore iterum exspuat, quod tamen extra necessitatem indecens videtur, maximè masticatio tabaci; sicut indecens est Principem in splendidum quidem conclave, sed per turpe ostium inducere. Item

Nec reli-
quias ci-
borum.

non impedit si quis reliquias cibi hesterni inter dentes hærentes, casu deglutiat. Item

Nec pul-
vis, mu-
sca, &c.

si quis fumum tabaci attrahat, quia non sumitur per modum cibi aut potûs. Item non impedit, quidquid per modum respirationis in stomachum traicitur, ut si cuipiam aperto ore respiranti ingredia-
tur musca, pulvisculi, paleæ, vel similia, quæ in aëre feruntur. Item secundum

Nec li-
gnum.

Lugo, si quis casu deglutiat, quod à stomacho nullo modo concoqui aut alterari potest, v. g. globulus plumbeus, particula ossis, lapilli, &c. Et fortè lignum solidius, & dumus, non autem charta, creta, terra, quia hæc saltem aliquo modo alterari possunt. Theol. S. G. q. 5. dub. 5.

Sed ta-
men
charta,
terra, &c.

Quinam
excusan-
tur ab hoc
jejunio?

Quinam excusantur, ut etiam non je-
juni Eucharistiam sumere possint?

Mori-

Moribundi si non possint expectare alterum diem, omnesque in articulo mortis constituti, & vel iuste vel in iuste occidendi. *Theolog. cit.* Est enim præcepti divini in articulo mortis communicare; esse verò jejunum, præcepti tantum Ecclesiastici, cui alterum in eodem subiecto prævalere debet; Imò viaticum iteratò etiam à non jejunio peri potest, quoties recurrit novum periculum, in eodem morbo, post intervallum unius, aut alterius diei, si magna ægri postulet devotio, aut utilitas, uti probabiliter docet Laymann. *lib. 5. tract. 4. c. 6.* Suedet tamen Lugo, in hoc spectandam consuetudinem loci. *Theol. Sanct. Gall. q. 5. d. 5.*

Quando amplius à non jejunio sumi potest Eucharistia? Quinam amplius?

Ne incidat in manus hæreticorum, aut aliâ afficiatur irreverentiâ. Secundò Confessio.

Secundò præcipitur Confessio, quâ conscientia peccati mortalis rea expiatur, tantæque Majestati dignum habitaculum præparetur, juxta illud Pauli. *1. Corinth. 11.* Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat: quod ita exponit Concil. Nic. I. c. 11. Et S. Cyprian. *Epist. 11. & alij.*

Quæstio Quarta: Ergone grave scelus foret, in mortali communicare? Q. IV. Gravene scelus foret, in mortali communicare?

N

R. Gravis-

Gravissi-
mum sa-
crile-
gium &c.

R. Gravissimum sacrilegium, & æquale illi, quod patrârunt Crucifixores Christi.

Ait enim S. Chrysostomus hom. 61. Gravissima est injuria, Christum pollutâ suscipere linguâ, post tot accepta beneficia. Et S. Hieronymus, apud Suarez p. 3. q. 69. Grande malum, iisdem labijs osculari Filium Dei, quibus osculatus es labia meretricis. Horrendum scelus, sancta dare canibus. Matth. 7. v. 6. Mundi pretium mittere in sterquilinum, ut ait S. Thomas, opusc. 58. Christum inquam immittere in fœtentem cordis tui cloacam; vah, quæ sordium colluvies! quàm sunt plena omnia viperis, serpentibus, id est, immunditiâ! irâ, iracundiâ, injustitiâ! Christum denique, quem Deum credis, audacter ad dæmonem in Corde tuo præfidentem deducere, conjungereque velle, ut meritò de his dicat Paulus: Reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Sed

Q. V.
Quid si
post Con-
fessionem
peccaret?

Quæstio Septima: Quid si verò post Confessionem denuò quis peccaret, aut peccati non confessi recordaretur?

R. Si peccatum sit lethale, denuò erit confitendum, aut omittenda Communio, secus si veniale tantùm fuerit, id enim Contritione delere sufficit.

Quandòque etiam, licet peccati mortalis recordêris, urgeat tamen gravis necessitas, Contritionem elicere sufficiet,

V. G.

v. g. si in scamno communicantium publice, peccatum morale, aut dubium de tali occurrat, nec sine scandalo recedere potes, &c.

Sed quid censendum de his, qui mox à Confessione, iterum & sæpius non sine adstantium offensâ ad Confessionale redeunt?

Aut hi non ritè conscientiam examinarunt, & se emendent; aut scrupulis vexantur, & hi ordinariâ peccatorum inquisitione contenti sint, nec ad idem semper redeant principium; morali diligentiâ hîc contentum esse oportet.

Quæstio Sexta: *Quid ampliùs observare oportet communicaturum?*

Et Ut intentione optimâ, fide perfectâ, reverentiâ & devotione maximâ, honesto denique habitu, accedat, tum ut inde fructus potiores percipiantur, tum quia Deus ipse est, qui sumitur.

Suprà jam dixi, dispositus ut quatuor, accipit gratias ut quatuor, octo, ut octo; saltem istæ ergo ad devotionem trahent; sed quantò vehementiùs ad profundissimam humilitatem, devotionem internam & externam provocare debet, ipsa realiter hîc præsens divina Majestas, ipse amantissimus Salvator noster Christus Jesus, annon dignus totius nostri Cordis affectibus & omnium potentiarum, sen-

Quid censendum de his, qui iterum & sæpius redeunt ad confessionale?

Q. VI. Quid ampliùs observare debet comunicaturus?

Ut accedat intentione optimâ fide perfectâ, &c.

suumque motibus? quare intentio latissima est formanda, cur, & pro quo fiat Communio; fides quoque viva ac pia desideria excitanda, reverentia, modestia, humilitas profundissima adhibenda; denique & honestus Corporis vestitus assumendus; vanum enim verò est superbâ veste humilem Christum salutare, manducare &c. Turpe est malè tectis membris, aut lurido habitu Deum accedere, sibi que unire, incorporare, quod nonnunquam fieri videmus, &c. Sed

Q. VII.
Quid ante, in, & post Communionem observandum?

Ante Communionem, &c.

Roganda B. V.

2. Formanda intentio.

Quaestio Quarta. Qualiter ergo jam actualiter communicandum, & quid ante, in, & post Communionem observandum?

R. Ante Communionem. 1. Postquam devotum est in Ecclesiam, roganda Beatissima Dei Mater, ut impetret dignè & fructuosè communicandi gratiam, uti enim alias omnes ita & præcipuè hanc ejus intercessione accipere possumus gratiam; quo fit, ut rudes & rustici nonnunquam longè fructuosius communicent, quàm dignitate aut doctrinâ eximij, quia per merita Beatissimæ Virginis ampliorem devotionis & charitatis influxum experiuntur. O Sanctissima Dei Mater rogo te per Maternitatem tuam, & per omnia gaudia & dolores tuos, impetra mihi gratiam dignè & fructuosè communicandi, Spiritum Fidei, Spiritum devotionis & amoris.

2. Formanda intentio, quo sine communicare velim; O Domine mi Jesu Crucifixe, volo jam

comm-

communicare, & recipere sacrosanctum Corpus
& Sanguinem tuum, plenâ fide, & amore, in
memoriam amarissimæ Passionis & mortis tuæ,
in gratiarum actionem quodque & perpetuam
laudem tuam; ad honorem sanctissimæ Matris &
virginis Mariæ, S. Iosephi & omnium Beato-
rum; ad consequendam plenissimam remissionem
peccatorum meorum, augmentum omnium virtutum,
tam mihi, quàm mihi commissis, amicis, inimicis,
viviis & defunctis, præcipuè pro conversione hæ-
reticorum, paganorum, & omnium peccatorum.

3. Insistendum pijs precibus, aut lectioni sacræ
de libellis in hunc finem conscriptis, præcipuè reco-
lenda Passionis Mysteriorum, & exercenda fides;
Credo in te mi Jesu ex toto Corde meo, spero in
te ex toto Corde meo, amo te ex toto Corde meo.

IN COMMUNIONE.

Tempore Communionis, erectis manibus, ma-
ximâ animi demissione accendum ad altare,
& flexis humiliter genibus, ter cum Sacerdote
pronuntiandum: Domine non sum dignus. Postea
submissis oculis, velum communicantium reveren-
ter manibus suscipiendum, apertoque modestè
ore, & promissâ ad inferius labrum linguâ, re-
cipiendum est sanctissimum Sacramentum; inde
sumpto à ministro ablutionis vino, factâque re-
verentiâ, erectis semper manibus & demissis in
terram oculis, ad locum suum redeundum, re-
petendo interim illud: Omi Jesu credo in te ex
toto Corde meo, &c.

3. Insi-
stendum
pijs pre-
cibus.

In com-
munio-
ne, &c.

Devotè
& humi-
liter acce-
dendum.

Post Cō-
munio-
nem, &c.

POST COMMUNIONEM.

1. Gratia
Christo
agenda.

Non statim foras egrediendum, sed 1. Gratia Christo agenda, quod ad hominem peccatorem divertere dignatus sit. O mi dulcissime Jesu, gratias tibi ago, quod ad vilissimum terræ vermiculum venire dignatus es, ach requiesce in Corde meo sicut requievisti in sinu Patris æterni, in utero & sinu Matris Mariæ, in sinu S. Josephi, & Corde omnium justorum, sic requiesce in Corde meo.

2. Petenda
venia
peccato-
rum,

2. Petenda venia peccatorum, augmenta gratiarum. Ignosce quoque mihi benignissime Jesu omnia peccata mea, supple quæ neglexi, reparag; destruxi, in anima & corpore, in me, & alijs, auge in me timorem filialem, amorem, omnesque virtutes.

3. Expo-
nenda
particula-
res, neces-
sitates.

3. Exponenda particulares necessitates, tam alienæ quàm propriæ, celi amantissimo Patri, petendumque auxilium; Vide, vide amantissime Pater, miseras animæ meæ, corporis mei, familiæ meæ, amicorum meorum, &c. miserere & medere omnibus, da felicem successum negotiorum meorum, &c.

4. Lectio-
ni vacan-
dum.

4. Aliquantisper lectioni, orationi, aut meditationi vacandum.

5. Mode-
stè rede-
undum
domum.

5. Modestè domum redeundum.

6. Eo die
cautio-
rem esse.

6. Cavendum eo die, nequid divinâ Majestate indignum agatur, sed tota dies melioribus impendenda, visitando Ecclesias, agros, &c.

Quæ

Quæstio Octava : Siquid de Sacramento Q. VIII.
faucibus adhæserit , quid agendum ? Quid a-

R. Non digito , sed linguâ solvendum , aut gendum ,
iteratò ablutionis vinum petendum. si quid de

Sacramentum enim non nisi à conse- mento
cratis digitis tangi oportet. faucibus

Sed quomodo occurrendum alijs defe- rit
ctibus circa communionem , v. g. si com- Non di-
municans subitò vomere cogatur ? gito , sed

Non à laicis , sed à Sacerdote tollantur linguâ
species. Si verò moribundis contingat , solven-
post abiturum Sacerdotis , excipiatu vom- dum , &c.
tus linteo , & portetur ad Parochum. Quid , si

Si hostia in terram cadat ? commu-
nicans

Non Laicus sed Sacerdos eam tollat ; subitò
ne verò id fiat , communicans lintheum sic vomere
apprehendat , ut Hostia casu è Sacerdo- cogatur?
tis manibus elapsa , eodem recipiatur.

Quamdiu abstinendum excreatione ? Quandiū

Per medium saltem quadrantem , usque abstinen-
dam species consumptæ sunt , quod fieri dum ex
intra unum horæ quadrantem vel dimi- creatione-
dium à stomacho rectè disposito docent net

Medici , apud Lugo disp. 12. sect. 3. n. 54.

Si prius urgeat necessitas , excreatio stro-
phio excipiatu.

Quamdiu abstinendum cibo ? Quando

Tantodem tempore , ob reverentiam producit
Sacramenti. Euchari-
stia suos

Quando producit Eucharistia suos effe- effectus?
ctus Sacramentales ? N 4 Eo

Eo instanti, quo S. Hostia, in stomachum recepta est. Quod si pars tantum recepta sit, alterâ adhuc linguæ, vel faucibus in hærente, continuatur productio eorundem effectuum, usque dum Sacramentum totum in stomachum receptum sit; adeoque si recipiens eo tempore melius se disponat, ampliorem consequitur gratiam habitualem, aut si in peccato fuerit, contritione fructuosum reddere possit Sacramentum. Quamprimum verò Sacramentum totaliter in stomachum receptum est, & sumptio absoluta; tunc probabilius est, non amplius variari gratiam habitualem, & ex opere operato, sed tantum augeri gratias ex opere operantis, juxta affectum & devotionem communicantis, quamdiu manent species. Putant tamen Suarez & Coninck, augeri & variari ipsam quoque gratiam habitualem, quamdiu durant species. Theol. Sanct. Gall. q. 4. d. 2. Monendi ergo sunt serio omnes communicaturi, ut Sacramentum in ore retinentes, aut jam jam deglutientes, actus amoris & contritionis elicere studeant. Postea quoque ardentiori oratione & devotione sese exercent, usque dum species corrumpantur, quo amplissimos Sacramenti experiantur effectus.

RECA-

RECAPITULATIO.

HÆc de effectibus seu fructibus Eucharistiae; & de praxi dignè ac fructuosè communicandi summa est. (1.) Fructus præcipui sunt hi: remissio venialium: augmentum gratiæ: præservatio à peccatis: unio fidelium: sanctificatio corporum: denique aliorum beneficiorum collatio. (2.) Quos copiosius consequitur, qui perfectius est dispositus. (3.) Suscepturum ergo Eucharistiam, oportet esse jejunum, & mundare conscientiam à peccato. Requiritur jejunium naturale strictissimum; quod non solvit, quicquid per modum salivæ, aut respirationis traiecitur. (4.) In peccato verò communicare est sacrilegium gravissimum. (5.) Unde post Confessionem memor peccati, denuo confiteatur. (6.) Ulterius oportet accedere, intentione, fide, reverentiâ maximâ. (7.) In ipsa denique actuali Communionem, hæc sunt observanda. Ante Communionem, &c.

EXHORTATIO.

Discimus hîc charissimi primò, attentè Discimus
considerare amplissimos Eucharistiæ 1. considerare
fructus, utpote efficacissima ad devotè & fructus
crebrò communicandum incitamenta, Eucharistiæ.
considerare inquam, quàm verè illa sit

Quod sit
medicina
universa-
lis.

Quod il-
luminet,
accendat
robo-
ret, &c.

medicina universalis, cujus virtute peccata deleantur, concupiscentiæ refrænentur, aliique morbi spirituales curentur, quod nullum præstat medicamentum, quia nullum habet omnes qualitates curandis morbis. Siquis vestrum non tam sæpe, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, aut cæterorum hujusmodi, immodestæ, &c. Gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam Virtus Domini operatur in eo; S. Bernard. *de Cæna Domini*, & S. Cyrillus l. 4. in *Joan. cap. 17*. Quàm verè illius virtute homo illuminetur in fide, rerumque divinarum cognitione, firmetur in spe, accendatur amore, instruat prouidentia in agendis, roboretur solatio & fortitudine in aduersis, omni denique gratiâ & benedictione cælesti repleatur. Ecce quanti fructus, quantaque bona Eucharistiæ, & quàm efficacissima ad deuotè & crebrò communicandum sint incitamenta; ut non immeritò Jacob Eucharistiam suspirans obsecraverit: Si Dominus dederit Panem ad vescendum. Genes. 28. v. 20. Ut non immeritò Esau rugierit: Numquid & mihi reservasti benedictionem? audiens: Frumento & vino stabilivi eum, & tibi posthæc, fili mi, ultra quid faciam? Genes. 27. v. 37. Unde

Disci-

Discimus secundò, ut quàm largissimè hos participemus effectus, studiosâ præparatione, largo affectu, & multâ devotione opus esse. *c. testamenti c. non est. d. 6.* Fixè enim tenendum est; ubi nulla dispositio, nulli quoque fructus. Prædixit id Micheas, *c. 6.* Calcabis olivam, & non ungèris oleo, & mustum & non bibes vinum; & Paulus *Galat. 5.* Christus vobis nihil proderit. Et contra. Magnæ dispositioni, multæ charitati, magni & multi respondent effectus. Quis nostrum non ambiat maximos? modicis contentum esse, magnæ sanè foret insipientiæ, sicut qui invitatus à Principe, ad hauriendum è cella sua vinum, quantum vellet, duceretque honori, si quàm plurimum hauriretur, hic verò os duntaxat, aut plenam manum sorberet, sitiensque discederet; rectius utique ageret, qui cados, qui plaustra aveheret: Ita stolidè ager, qui, cum è sanctissimo Sacramento infinitas haurire posset gratias, exiguis tamen, imò panè nullis contentus est, quia modicam affert dispositionem. Idem dic, si quis ad infinitum pecuniarum thesaurum admissus, parcissimam immitteret manum, &c. Et quidem talis eò minùs venià dignus, quòd ad perfectum, & fructuosum Sacramenti hujus usum, vix paulò

2. Ad ampliores consequendos Effectus, ut quàm devotissimè accedamus, &c.

Simile.

Simile.

paulò plus requiratur quàm ad perfunctorium & inutilem; ut rínque enim adhibetur actionis labor, tantùm quòd ab uno plus afferatur reverentiæ & devotio- nis, uti suprà *de Sacramentis in genere* di- ctum est.

Quærit S. Chrysostomus *hom. 27. ad Pop.* Quare sub Apostolis virtutes edeban- tur, non verò à nobis, cùm idem Deus sit? & responder; quia non par usus Eu- charistiæ. Unde.

3. Patri-
culariter
jejuni, &
præviâ
confes-
sione ac-
ceda-
mus.

Discimus tertio, particulariter ex præcepto Ecclesiæ, jejuno, & optimè dispo- sito esse corpore, animæ quòque & consci- entia sordes contritione ac confessione expurgare; In malevolam enim animam non introibit sapientia. *Sap. 1. v. 4.* Quæ conventio Christi ad Belial? 2. *Corinth. 6. v. 15.* Cor purum amat Christus, sicut ele- git virginem purissimam, syndonem mundam, & sepulchrum, in quo nondum quisquam positus fuerat. *Luc. 23. v. 53.* Præcipuè verò remittenda omnis offensa, & deponendum odium, juxta illud: Si of- fers munus tuum, vade prius reconciliari fratri tuo. Quare seriò expendendum, an occultum foveatur adhuc delictum, oc- culta, & injusta possessio rei alienæ, occul- ti & inhonesti amores, occulta invidia, odium, &c. Et si vel minimum rancoris,
odij

odij, &c. scintillulam in corde residere adverterimus, momento omnia ei jiciamus, adversarium affectu complectamur, nósque & illum intimè Deo commendemus? Vincenti dabo Manna. *Apoc. 2.v.27.* alioquin indignè communicantes, id est, qui animo vindicativo, gravèque odium, aut peccatum versante accesserint, gravissimo scelere se se obstringunt, imò ut supra dixi, æquè gravi, ac ipse proditor Judas, & Crucifixores Christi, juxta illud, *1. Corinth. 11.v.27.* Quicunque manducaverit, &c. reus erit Corporis & Sanguinis Domini: & S. Chrysost. *hom. 85. in Joan.* Sicut æquè vel magis regiam majestatem offendit, qui ejus purpuram maculat, quàm qui scindit, ita Christum æquè inhonorant, maculato corde eum suscipientes, & Judæi clavis eum affigentes, & S. Ambros. *serm. de lapsis.* Hoc peccato concutatur Corpus Domini, & verò quantum scelus? quis non ingenti indignatione audit vel legit, proditorium illud osculum, quo Dei Filium, sordidâ avaritiâ urgente, in sævissimas Judæorum manus tradidit? quis non exhorrescat ad ausum temerarium Judæorum, pretiosissimum Christi Sanguinem per tam exquisita tormenta in terram effundentium, conculantium? quis ergo & horum explicet

Sacri

Indignè
commu-
nicantes
gravissi-
mè pec-
cant.

Et gra-
vissimè
punian-
tur.

Sacrilegium, qui tremenda Corporis & Sanguinis Christi Mysteria, ipsisque Angelis veneranda, sordido ore & corderecipiant Sacramenta? qui, ut ait Bernardus *de bonis desert.* præstantissimum sæculi pretium in conscientiae suae fætidum sterquilinum projiciunt? ut non immeritò gravissimæ sacrilegos hosce opprimant Dei vindictæ, sæpe in vita, certè post mortem. Si enim in lege veteri arcam Testamenti, in qua continebantur duæ tabulæ Molai-cæ, Manna & Virga Aaron, tantâ reverentiâ tractari voluit, ut nemini liceret eam nudatam tangere, nec Sacerdotibus quidem. *Exodi 25.* Et si quis contra ageret, morte puniretur, ut patet in Philistæis. *1. Reg. 3.* qui Arcam templo suo inferentes, horribilibus plagis affecti sunt: & Bethsamitis, *1. Reg. 6.* qui curiosius illam inspicientes, quinquaginta millia subitanè morte periêre: & Oza, qui labantem contingere ausus, à Domino percussus interiit. *2. Reg. 6.* Quomodo jam corripiet tam indignè tractantes & sumentes Corpus & Sanguinem suum? Pœnas indignè communicantium vide in *Historia.*

4. Ut o-
primâ In-
tentio-
ne, &c.

Discimus quartò ulteriùs, accedere in-
tentione quâ possumus perfectissimâ, non
desiderio vanæ gloriæ, avaritiæ, aut ex
consuetudine, aliâve temporali causâ.

Sed

Sed trahant nos prædicti fructus , trahat
 onerata peccatis conscientia , ad veniam
 culpæ , infirmitas ad medicinam , trahat
 desiderium augendæ gratiæ & donorum
 Spiritûs Sancti ; continet enim hoc Sacra-
 mentum fontem omnis sanctificationis ,
 trahat nos cultus & amor Dei , gratiarum
 quôque actio pro innumerabilibus bene-
 ficijs , trahat nos cultus Sanctorum , trahat
 nos compassio proximorum , pro quibus
 vivis & defunctis nihil efficacius offerri
 potest , quàm Sanguis Christi effusus in re-
 missionem peccatorum.

Rursus fide firmâ , quâ credamus verè Fide Gra.
 & realiter esse præsentem eum in Hostia , mâ.
 qui olim è Virgine natus , qui pro nobis in
 Cruce mortuus , qui nunc ad dexteram
 Dei patris sedet , qui tandem Judex noster
 venturus est. Rursus affectu , reverentiâ Affectu
 & devotione maximâ : cùm enim idem & reve-
 rentiâ.
 hic sumatur , qui jacuit in præsepio , fove-
 batur in utero & sinu Matris , & S. Josephi ,
 adorabatur à Pastoribus , Regibus , postea-
 que à Centurione , æquum est , ut tantâ
 Christum suscipiamus reverentiâ , quan-
 tâ illi ; sed quantâ illi ? quis explicet ?
 aiunt Sanctissimam Virginem , non nisi
 mediante linteolo Christum Infantem
 tractasse. Quid de S. Josepho dicam ? quid
 de

Multi ir-
reveren-
ter acce-
dunt.

Et recedunt.

de Pastoribus? sed enim quâ reverentiâ accedere solent nonnulli? Videmus plurimos, nescio quâ audaciâ, aut brutali ignorantia perfrigide, rigide, luride accedere; sed qui ita accedis, siste gradum, dic, quò vadis! ad Deum meum in Sacramento recipiendum; ex ore tuo te iudicas. Si Deus tuus est; ergo non tanto repore, incuriâ, sed demissis oculis, elevatis manibus, repetitis suspirijs accedere oportet. B. Magdalena de Pazzis licet nullum peccatum mortale, nec grave commisisset veniale, attamen communicans trepidabat, & ne à terra absorberetur, timebat. *in vita c. 133.* Sed qualiter iidem recedere solent? uti accesserunt ita recedunt, absque ullo pietatis sensu, oculis hinc inde circumactis, brachijs solutis, gressu celeri, moxque ex templo excurrentes, curas domesticas adeunt, in via jocos, cachinnos miscent; sed qui ita recedis, qui tam festinanter Ecclesiam fugis, quid ibi negotij gessisti? quem corde tuo accepisti? Deum meum accepi, ipsum Jesum Christum. Iterum te condemnas mi homo; si ita est, quâ fronte tantum hospitem tam viliter tractare præsumis? quomodo tanti Benefactoris tam citò oblivisceris?

Disci-

Discimus quintò, toto illo die cavere ^{s. Toto} omne peccatum, & præcipuè abusum, ^{die me-} quo nonnulli adeunt popinas, indulgent ^{lioribus} comotationibus, ludis inhonestis, sicque ^{occupati, &c.} pretiosum hunc Divinitatis thesaurum proijciunt, conculcant. Quin potiùs Christum in animo & corde præsentem habeamus, cum illo, aut illius amicis, bonis Christianis conversemur, &c. Sic nos tu visita, sicut te colimus. *In festo Corp. Christi. Hymn.*

Discimus sextò denique, non devotissimè tantùm, sed & creberrimè accedere Eucharistiam, de quo *catechesi sequenti.*

HISTORIÆ.

S. Magdalena de Pazzis dicebat, unam ^{Effectus} Communionem bene factam sufficere ^{Communionis} ad animam perfectam faciendam. Et aliàs ^{exponit} dicebat suis: Si desideratis brevi pervenire ^{S. Magd.} ad perfectionem magnam, accipite pro ^{de Pazzis.} magistro vestro Christum Crucifixum, attentè illi aures præbere, quia perpetuò loquitur in Corde, sed præcipuè in illa hora, quando recipistis sanctissimùm Sacramentum. *In vit. p. i. c. 65. & p. 4. c. 4.*

Hippocratis jù jurandum erat: Quam- ^{Similitu-} tuncque domum ingressus fuero, ad ægro- ^{do a Me-} rantium salutem ingrediar: Rectius hoc ^{dico.} O Chri-

Christo attribuitur. *Nadal. in anno Euch. hebdom. 10.*

S. Theresia cor vulnerat Angelus, &c.

S. Theresia post Communionem vidit Angelum ignito jaculo, praeordia transverberantem, unde ingenti cor ejus divini amoris incendio conflagravit.

Eadem in ore verum Sanguinem sensit.

Eadem in die Palmarum devotissime communicans, & Sacramentum aliquamdiu in ore detinens, rogavit Christum, ut particeps fieri mereretur amaræ illius passionis, & ecce sensit os calido sanguine plenum, vocemque: filia, sanguis meus in te nequaquam erit frustraneus. *In vita.*

S. Catharina Senensis vidit accedentes inflammari.

S. Catharina Senensis intuens sacramentum Hostiam, videbatur sibi intueri fornacem ardentem, ad inflammandos omnes, qui propius accessissent, paratam. *In vita.*

S. Franciscus concionatus, &c.

S. Franciscus antequam concionaretur, coram Sanctissimo Sacramento affectus concepit, unde in concionibus non nisi ignem spirare videbatur. *In vita.*

S. Edmundus disputaturus, &c.

S. Edmundus disputaturus cum adversariis, de Sanctissima Trinitate, pridie orabat Christum, ut mentem suam illuminaret; & ecce videbatur sibi videre columbam, Sanctissimum Sacramentum ore ministrantem; manè disputationem aggressus, tam doctè disseruit, ut omnes obmutuerint. *Marulus l. 4. c. ult. Ab Eucharistiæ culru*

cultu tantus Doctor evasit S. Thomas Aquinas. Item P. Sanchez.

In Thuringia cùm Sacerdos Eucharistiam ad ægrum portaret, accedens meretrix & genua flectens, dixit ad Christum; si tu es ille, qui pro nostra redemptione natus & mortuus es, rogo te per ineffabilem misericordiam tuam, ignosce mihi peccata mea; & cùm Christus latinè respondisset: & ego tibi ignosco peccata tua, illaque denuò diceret: Domine loquere germanicè, dixit germanicè: & ego te recipio in gratiam meam, cui illa: & tu me suscipis, quæ toties te offendi? ah gratias tibi ô mi bone Jesu, & ex eo momento sanctè vivere cæpit. Discip. *Serm. 8. litt. T.*

Juris-Consultus quidam à fratris filio plagam in facie acceperat, ad quam injuriam deprecandam vel remittendam cùm neuter persuaderi posset, Sacerdos hortatus est illos, secum coram Eucharistia paulisper orare; quo facto ita mutati sunt, ut ultro veniam offensæ peterent, remitterentque. *Annua Societ. anno 1593. in Prov. Mediol.*

S. Gregorij Pater per Eucharistiæ summptionem lethali morbo liberatus fuit. *Ipsa teste.*

S. Agatha apertè fateatur: Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui,

Peccatrici vocaliter remittuntur peccata.

Odium coram Eucharistia orantes depouunt.

Per Eucharistiæ morbis liberati sunt Pater S. Gregorij. S. Agatha,

bui, sed habeo Dominum Jesum Christum, qui solo sermone restaurat universa. *Offic. Eccl.*

Hostes
vincit
Alphon-
sus Rex.

Alphonſus VIII. Rex Castellæ Anno 1212.
16. Julij. cum ſuis militibus venerabili
Eucharistiâ armatus, Archiepiſcopo To-
lerano Crucis vexillum præferente, du-
centa Saracenorum millia fudit, amiſſis
ſuis tantum quindecim. *Pædag. t. 2. p. 2. c. 1.*
Nimirum quia receſſerunt ab hac menſa
Eucharistica tamquam leones, ignem ſpi-
rantes. *S. Chryſ. Rom. 6.*

Otto Im-
perator.

Eodem modo Otto Imperator devicit
Hungaros. *Ibid.*

Præpara-
tio ad
Commu-
nionem,
in primi-
tiva Ec-
clesia.

In primitiva Ecclesia Diaconus populo
Communionem præbiturus, altâ voce
clamabat: Sancta sanctis, si quis non sit
sanctus, Sacramentum non accedat. *Pæ-
dag. c. 16. §. 3.*

Ferdinan-
di Imp.

Ferdinandus II. Imperator pridie Com-
munionis cœnam parcissimam ſumebat;
ipſo verò Communionis tempore, ingen-
tem ardorem & pietatem, multâque ſu-
ſpiria & lachrymas præſeferebat. *In vita
c. 4.*

Cerim-
purum
non acci-
pit gra-
tias, ſicut
mallu-
vium &c.

Heraclius Episcopus emerat mallu-
vium argenteum, à Paulino Mago, quo
hic sanguinem magicum conservare ſo-
lebat; melioribus igitur pretioſum vas
applicaturus Episcopus, eodem aquam
mira-

miraculosam de corpore S. Glyceriæ profluente excipere volebat, sed stetit subito aqua; contristatus sanctus à Deo causam exposcit, intellexitque indignum esse, ut sancta hæc aqua recipiatur vase per sanguinem impurum fædato. *Applica.* Incassum exspectare nos aquas gratiarum, recipiendo Corpus Christi, si Cor sit impurum, sordibus veneris, impietatis, sanguine pauperum. Niceph. l. 18. c. 31.

Primus indignè communicans fuit Judas, in quem post buccellam intravit satanas, exinde surdâ aure, & obturato Corde Christi monitum, &c. accipiens, fuit Judas. *Primus indignè communicans fuit Judas.*

Ex 1. Corinth. 11. v. 30. docent Patres, Panæ indignè communicantiū. multos indignè communicantes, morte subitanâ, aliisque gravissimis morbis affectos.

Judæus sumens Eucharistiam de manibus S. Syri Episcopi, sinûque abscondens, ut eam projiceret, illuderetque, subito ignem in sinu suo ardere deprehendit. *Corinthiorum, &c. Judæi crucifigam &c.* Sursum in vit. 12. Sept.

Mulieres de idolothyris comedentes, Mulierum, &c. & nihilominus ad communionem accedentes, earum una subito palpitans concidit, & alia à dæmone possessa, dentibus laniavit linguam suam, ipsa sui carnifex existens, pauloque post ventris & viscerum

rum dolore cruciata exspiravit. *S. Cypri. serm. 5. de lapsis.*

Femi-
næ, &c.

Fæmina quæ luxuriam suam diu in Confessionali texerat, pro Paschate ad sacram Communionem accedebat; sed sumptâ hostiâ cæpit spumare, linguam agitare, obmutescere, toto corpore tremere, & velut in immani dæmone agitari, tandem precibus S. Engelberti, cum pænitentiam egisset, restituitur. *Surius in vita S. Engelberti.*

Juvenis
fornica-
tij, &c.

Juvenem quemdam fornicarium, ne indignè ad sacram communionem accederet, sed prius omnia peccata sua confiteretur, monuerat S. Bernardus; sprevit ille pij Patris monita; sed ecce, cum sacra Hostia ab ipso sumitur, & jam guttur illius tangit, disrupto jugulo, exiliit super altare. Infelix verò juvenis animam desperatam dæmoni resignat. *Guil. Abb. in vita.*

Alte-
rius, &c.

Alius frequenter communicaverat, sine voluntate tamen à pristinis peccatis desistendi; huic morituro apparuit dæmon cum igneis hostijs, in ignea patena, dicens: Quia frequenter indignè communicâsti, hodie de manu mea infernalem communionem accipies. Renitente illo, ac horrendissimè clamante, dæmon hostiam unam super manum ejus jactavit, quæ

quæ terribili ardore suo , in momento
candentis instar ferri manum perforavit.

Summa Prædic. v. Euch. c. 6. n. 35.

Anno 659. Constans Imperator fratrem
Theodosium in Monasterium detruserat,
metu, ne imperium occuparet : crescente
etiam suspicione, nequiter peremerat; sed
vide vindicem Dei manum ! mox furere
Constans cæpit, horribilique pavore diu
nocturne concuti, eò quòd occisi fratris
umbra manu calicem sanguine plenum
præferens perpetuò illius oculis obversa-
retur, hâc terrificâ voce: Bibe frater, bi-
be sanguinem, quem fudisti ! Et licet
Imperator in Siciliam fugeret, evitandi
mali causâ, umbram tamen semper inse-
quentem habuit, usquè dum nefandam ef-
flaret animam. *Barrad. ad ann. cit.* Appli-
ca ad Sanguinem Christi, quanto horrore
eundem Christus manu propriâ exhibe-
bit indignè communicanti, in mortis ar-
ticulo ! Bibe maledicte frater, fraudelis
frater, &c.

Indignè
commu-
nicanti
dicit
Christus,
bibe cru-
delis fra-
ter, sicut
Theodo-
sius Con-
stanti, &c.

Legitur in Gestis summorum Pontifi-
cum, quòd quidam in festo Paschatis, sum-
ptâ Communione, dederunt se choreis &
ebrietatibus, unde & ira Dei cecidit super
eos; nam de ore illorum exibat sanguis
fætidus, & reflexus ad interiora subito
suffocabat eos, aqua etiam terram loci ro-

Propter
indignè
commu-
ni antes
in Pasca-
te, tota
regio pu-
nitur.

ram inundavit, dracones quoque pestiferi immissi, ita ut nullus nec ingredi, nec egredi valeret; cum ergo oraret Sanctus quidem, ut Deus parceret populo huic, apparuit Angelus, talémque proposuit quæstionem; si quis acceptum filium Regis poneret in fœdissimo carcere, & hoc proditoriè, quid tali deberet facere Rex? respondit Sanctus: Talis deberet interfici, & multilari membratim; iterum dixit Angelus: Siquis pixidem, in qua asservatur Corpus Christi, in fœdissimum lutum, in præsentia multorum projiceret? respondit: Talis deberet cremari, sicut hæreticus. Tunc Angelus: Tales sunt ciues isti, nam Dei Filium posuerunt in fœdissimo carcere, & pixidem, id est, corda sua, in quibus recipiebant Corpus Christi, in lutum & simum fœdissimum vanitatum & immunditiarum projecerunt; & ideo non est mirum, si istis vel majoribus puniantur; postea ergo actâ pœnitentiæ liberati sunt. *Specul. Exempl.*

v. Euch. ex. 13.





CATECHESIS VI.

Quoties & quando commu- nicandum?

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. An Fideles omnes teneantur communicare,
hoc est, sumere sanctissimum Eucharisticæ
Sacramentum?
2. Quoties ergo est communicandum ex præcepto?
3. Quoties communicandum ex devotione?
4. Quid est spiritualis communio?
5. Quinam sunt illius fructus?
6. Quando practicanda?

MISCELLANEA.

Cur Communio præcipitur tempore Paschalis
ubi communicandum?

An melius est prævenire Communionem Pascha-
lem?

Quid si quis octo diebus ante morbum lethalem
communicasset?

An qui sumpsit viaticum, denuò potest communi-
care?

An laicus moriens se ipsum potest communicare?

An Eucharistia ad ægrum deferenda, ut eam sal-
tem adoret?

Licetne Infantes, semifatuos communicare?